

B. C. D.
SPECIMEN EXAMINIS
COMPENDII CONTROVERSIARUM
PARTICULARIUM
R. R. D. D. FRATRUM
DE WALENBURCH
Seu
DISQUISITIO THEOLOGICA
De
SEPTEM ADMIRANDIS.

Quam,
Ἐάν ὁ Κύριος θελήσῃ καὶ ζήσωμεν,
PRÆSIDE
SAMUELE ANDREÆ,
S. Th. D. ejusdemque Prof. Ord. p. t.

Rei stipendiariæ Ephoro ac Pastore,

Publicæ & placidæ disquisitioni

Ad. VII. Sept. anni MDC LXXXV.

horis locog, solitis subijcitur

PHILIPP. HENRICUS FEY,
Wetteravo-Langsdorffensis.

Coll. diss. A
2, 69

Marburgi Cattorum,

Typis JOHANNIS HENRICI STOCKENII, 1685.

a. 11. 69.

Illustrissimo ac Generosissimo Comiti & Domino,

DOMINO

HENRICO

COMITI IN SOLMS,

DOMINO IN MUNZENBERG, WILDEN-
FELS AC SONNENWALD, &c.

Exercitus pedestris Unitarum Belgii Pro-
vinciarum Locumtenenti Generali, & Legionis Sere-
nissimi Principis Arausionensis prætoriae pedestris Co-
lonello, Governatori urbis Neomagensis, aliorumque
adjacentium locorum, atque Ordinis Equestris
Teutonici Commendatori Provinciali
Ultrajectino &c.

Comiti ac Domino suo
clementissimo.



*Hoc studiorum specimen
humilimè offert & consecrat
subditus subjectissimus*

P H. HENR. FEY.



B. C. D.

SPECIMEN EXAMINIS
 COMPENDII CONTROVERSIARUM
 PARTICULARIUM
 R. R. D. D. FRATRUM DE WALENBURCH

Seu

DISQUISITIO THEOLOGICA

De

SEPTEM ADMIRANDIS.



Quantum in Methodistis recentioribus, qui causam Papatus desperatam τῆ μεθοδεία τῆς πλάνης (de qua Apostolus Eph. IV. 14.) sustinere laborarunt, excellant Amplissimæ Dignitatis Fratres *Adrianus & Petrus de Walenburch*, Batavi, ille olim Episcopus Adrianopolitanus, hîc Mysiensis titularis, uterque Suffraganeus Moguntinus & Coloniensis; non solum ex variis eorum concertationibus, quibus seu vivâ voce seu scripto cum Evangelicis utriusque partis Doctoribus, præcipuè *Hundio, Coccejo, Drelincurtio ac Crocio* nostro & *Spanhemio, Haberkornio & Scheiblero, Danhauero, Hulfemanno & Conringio* congressi sunt, constat; sed imprimis Controversias fidei spectantibus tractatibus, qui duobus collecti voluminibus Colonia Agrippinæ anno 1670. prodierunt. Cùm enim Jcti non minus atque Theologi essent, ingenio, industriâ & variæ lectionis apparatu pollerenti sic malæ causæ Patronorum artes confidenti quadam versutia non sin-

A

acume,

acumine miscuerunt, ut haud mirum sit quòd decepti deceperint & seduxerint multos qui se laqueis istis expedire haud adeo facile potuerunt, quando in illis potissimum quatuor tractatibus, *de instrumentis probanda fidei, de perpetua probatione fidei per testes, de testimoniis seu traditionibus & de praescriptionibus Catholicis*, quos Jurisperitis inscripserunt, sic causam fidei ineptam quadam Patrum, maximè *Tertulliani & Augustini*, imitatione, modo *defensivo & offensivo* agebant, ut *obedientia fidei*, quæ soli Deo in verbo suo loquenti debetur, in *obedientiam, Ecclesiae* tradenti & dictanti præstandam, converteretur, quò sic possessorio confirmato, (justa an injusta usucapione nil attinebat) petitorium vel planè declinarent omni jure postulandi sublato, vel etiam ambagibus adeo infinitis involverent, ut qui negotium fidei non majoris momenti quàm prædii alicujus aut fundi credebant, cedere mallent & pudendam quadam transactione decidere cum malæ fidei possessore quàm jus suum integrum persequi, alii verò confusi potius quàm convicti manus darent.

II. Movit hæc Fratrum celebritas quoque Serenissimum Hassiæ Landgravium ERNESTUM, ut cum mutata religione a vitâ ab *Innocentio X.* Pontifice Romano (indigno sanè ob *Donnam Olympiam*, quem Princeps tantus *post oscula beatorum pedum & sui suorumque humilimam commendationem* veneraretur) *benedictionem specialem* impetraret, *Motiva suæ ad fidem Catholicam Conversionis* horum stylo vellet adornari, quòd eorum *grata in scribendo modestia universis nota esset, eorumque scripta non parum auxilii S. C. attulissent ad agnosendam veritatem; subsecuta etiam conversatio expectationi respondisset.* Neque illi defuerunt partibus sibi demandatis, sed quæ Princeps brevi scripto designaverat *Motiva quatuor*, juxta conceptus S. C. intra mensem unum & alterum ita deduxerunt, additâ ad Motivum secundum *de praescriptionibus Catholicis appendice*, ut eadem *Colonia anno 1652.* curâ Fratrum eorundem ederentur.

III. In his verò *Motivis quartum* erat *de appropinquatione Protestantium ad doctrinam Catholicam*, quo id præcipuè agebatur, ut factâ quadam statûs controversiarum elucidatione, momentum dissensûs elevaretur, & sic Protestantes, vel aliter nunc quàm antehac de plerisque & præcipuis capitibus sentire, vel genuinum doctrinæ Catholicæ sensum haud affecuti crederentur. Placuit autem Fratribus etiam postmodum, Motivum hoc *tractatibus specialibus de controversiis fidei* inserere & *compendium controversiarum particularium* inscribere, quia omnes
ferè

ferè (ut monent) continet & relationem habet ad sequentes Tractatus
 particulares. Unde illud à reliquis motivis separatum, ut Fratrum uni-
 cè opus jam licet considerare, & salvâ reverentiâ quæ Nomini Principis
 Serenissimi debetur, ceu scriptum quodvis aliud horum Fratrum haud pla-
 nè dissimili in scribendo modestiâ expendere. Neque enim ego is sum
 qui mortuis Leonibus barbam vellere aut ex congressu cum Heroibus
 gradum aliquem ad famam mihi struere velim aut possim, cum me sem-
 per meo studeam metiri pede & istud famæ ac celebritatis studium Theo-
 logo vel maximè indignum esse existimem. Veritatis oppressæ, vel sal-
 tem nebulis quibusdam involutæ, causa est, quam suscipio, ut eandem in
 apicum proferam, non studio fortè (aliter enim credere eadem quam
 Fratres tantopere commendant charitas jubet) sed istâ quâ omnes labo-
 ramus infirmitate præsumptionis, inconsiderantiæ, præcipitantiæ, præju-
 diciorum obscuratam, ut non illi, non ego, palmam hinc feramus, sed sola
 vincat ΠΑΝΔΑΜΑΤΩΡ ΑΛΗΘΕΙΑ atque legentium animis, quibus
 fortè visum erit hæc cum scripto Fratrum conferre, se placidè inserat.

IV. Fateor autem mihi ad illam Fratrum perspicaciam attendenti
 perquam mirum visum, quòd Viri Eruditi & nostrarum hypothesium sic
 satis gnari inque scriptis Doctorum Reformatorum excutiendis seduli,
 quædam in isto *Compendio* fuerint mirati, quæ cum hypothesibus nostris
 haud consistere putabant. Nam si dignati fuissent considerare aliquan-
 tisper hæc quæ adeo mirabantur & cum sententia nostra genuinâ confer-
 re, neque passi fuissent sibi à terminorum ambiguitate diversimodè hinc
 inde acceptorum imponi, omnino persuasus sum, quòd omni illâ liberati
 fuissent admiratione, neque ceu contraria opposuissent aut consequentiis
 parum æquis onerassent, quæ optimè sibi constabant & facile poterant
 conciliari. Quod ipsum *Specimine* hoc demonstrare animus est, ut ex
 velitatione hac boni ominis augurium fiat, quid à justo examine, quo
Compendium istud deinceps prosequi animus est, sit expectandum. Fa-
 veat conatui vires excedenti ille cujus potentia per infirmitatem consum-
 matur, stylum facile exorbitantem coërceat, tenebras mentis in rebus di-
 vinis plerumque, nisi perturbationibus liberata sit, cœcutientis discutiat, &
 verâ illa nos mentium luce perfundat, ut lumen in lumine ejus videntes,
 alios quoque collustrare & de regno tenebrarum eripere valeamus!

SEPTEM ADMIRANDA

verò potissimum in *Compendio* isto reperio, in quibus hæsi admirandus,

quorum rationem penitus exquirere conatus, tandem inveni, eclipsin quandam fuisse iudicii, cui præsumptio aliqua hinc non satis cauta dedit occasionem. Horum duo *cap. IX.* recurrunt & *decisionem controversiarum fidei* spectant; tria *cap. XII.* & *ministros Ecclesie ac seniores* respiciunt; duo denique *cap. XVI.* & *circa intercessionem sanctorum* versantur. De singulis ordine.

ADMIRANDUM PRIMUM.

Admirandum verò est; quomodo Protestantes tantum claritatis tribuant S. Scriptura, ut quilibet è sacro textu possit decernere credenda; & tamen (quamvis in præjudicium domesticae praxis) nolint suos Pastores in Synodo congregatos absolutâ certitudine decidere controversias.

I.

Sic Fratres *cap. IX. §. 5.* verum ita ut magis mirum sit, quòd hoc ipsa sado illis admirandum videatur. Nam I. non obscurum est quænam illa *claritas* sit quam *Protestantes S. Scriptura tribuunt*, nempe *absoluta & in se*, ut erudiendis omnium seculorum & ætatum fidelibus ad salutem perfecte lumine quodam insito sufficiat; *respectiva* quoque ex quâ nemo non ad salutem necessaria scrutando eruere queat. Ita mentem Protestantium non sine variis limitationibus exponunt ad quos subinde provocant Fratres, *Leydenses in synopsis Disp. 5. §. 9.* Cum Augustino asserimus, Deum ita attemperasse stylum & phrasin scripturae sanctae, ut quæcunque continent fidem & mores vivendi, spem scilicet & charitatem, aperte in Scripturis posita inveniuntur, atque ab omnibus pro vocatione & fidei mensura, *di-judicari & salutariter sibi applicari possint.* Et Martyr *Loc. Com. Cl. I. c. 6. §. 5.* Verum hoc interim affirmo, neminem esse verum Christianum, cui tam parum hujusmodi spiritus concedatur, quin valeat ex sacris literis haurire & judicare quæ necessaria sunt ad salutem; modo eas non negligat cum nocturna tum diurna manu versare, quod beatus Chrysostomus in proœmio Epistola ad Romanos aperte docuit. Et Coccejus in aphorism. brev. disp. 3. §. 3. & 4. *Scriptura est perspicua attentis non oscitantibus. Perspicuitas scripturae habet gradus 1. Quaedam aperta sunt in terminis 2. habentque evidentes consequentias & statim obvias: 3. vel saltem mediante dono interpretationis quod est apud Ecclesiam, demonstrabiles. 4. quaedam enigmatica per alia apertiora illustrari possunt.*

possunt. 5. nihil est in enigmaticis quod praedictet apertis. 6. mysteria patefcunt in thesi ex apertis dogmatis, in hypothesi ex implementis & mysteriorum collatione. Et Calovius Synops. Controv. disp. 2. th. 12. Scriptura sacra in his quae ad fidem & vitam Christianam spectant, non est ita obscura, quo minus vera Scripturae sententia ex ipsa Scriptura sacra haberi possit de omnibus ad salutem creditu necessariis. Quae omnia distinctius expressit & rectè statum controversiae figendo elucidavit Cl. Turretinus in accurato Inst. Theol. Elenct. opere Part. 1. Loc. 2. qu. 17. p. 149. 150. Non quaritur de obscuritate rerum seu mysteriorum in Scriptura traditorum &c. Non quaritur, an Scriptura S. sit perspicua in omnibus suis partibus, ut nullo interprete nullaque dubiorum expositione egeat, quod Bellarm. nobis, sed falso & per calumniam affingit &c. Non quaritur, An res ad salutem necessaria ubique perspicue tradantur in Scriptura &c. Non quaritur de prospicuitate quae excludit media ad Interpretationem necessaria, ut lucem spiritus internam, attentionem animi, vocem & ministerium Ecclesiae, conciones & commentarios, preces & vigiliis &c. Quastio E. eò redit, An Scriptura S. ita sit perspicua in rebus ad salutem necessariis, non quoad res ipsas traditas sed quoad modum tradendi, non respectu subjecti sed objecti, ut sine externo Traditionis auxilio, vel Ecclesiae infallibili iudicio, possit à fidelibus salutariter legi & intelligi? Pontif. negant. Nos asserimus.

II. Hinc 2. evidens quo sensu demum sit verum, id quod ambiguè dicitur, tantum claritatis S. Scripturae à nobis tribui, ut quilibet è sacro textu possit decernere credenda. Nempe si quilibet intelligatur de quolibet fidelium debitam cum praeparatione & animi attentione, non neglectis mediis ad interpretationem necessariis, ad lectionem Scripturarum accedente; si decernere sit, in usum privatum statuere apud se quid de controversis capitibus sit sentiendum, ut ne pueri simus amplius, fluctuemus & quovis vento doctrinae circumferamur, Eph. IV. 4: si denique credenda, sint illa quae, ad fidem & mores scitu necessaria & utilia, sub considerationem fidelium non sine fructu ad salutem conducente cadunt: concedimus, quemlibet è sacro textu posse decernere credenda. Sed si haec aliter & ex mente Fratrum intelligantur, ut quilibet, sit omnis qui externa professione est fidelis, quomodocumque etiam se habens, animo quocumque ad Scripturas legendas accedens; decernere, sit citra ullum erroris periculum aut scrupulum remanentem infallibiliter determinare quid de quibuscunque capitibus controversis sit sentiendum; credenda denique, sint omnia quae in

controverſiam quomōdocunque veniunt: non agnoſcimus aut docemus, quemlibet è ſacro textu poſſe decernere credenda.

III. Et ſic 3. facile hinc colligitur, anne iſti quam aſſerimus claritati obſtet quicquam quòd nolimus Paſtores noſtros & Doctores in Synodo congregatos abſolutâ certitudine decidere controverſias fidei, dummodo & hoc rectè intelligatur. Nam non id volumus, fieri haud poſſe, ut Paſtores & Doctores in Synodo congregati, controverſias fidei unquam abſolutâ certitudine decidant, ſic ut ipſi abſolutè de veritate & juſtitia deciſionis ſuæ ſint certi & alii quoque qui ſe huic deciſioni ſubmittunt de eadem veritate & juſtitia certi eſſe queant, ſi ad rationes decidendi attendant. Id enim fieri ſemper, ſi debito modo procedatur, & in Synodo Dordracena factum fuiſſe, credimus. Sed id volumus, certitudinem hanc deciſionis non in ipſâ Synodo aut Doctoribus & Paſtoribus qui eam conſtituunt, quærendam eſſe abſolutè, ut ſi modò illa legitimè congregata ſit, deciſiones ejus ab omni erroris periculo ſint liberæ, quaſi Concilium quodvis aut Synodus quælibet quomodocunque etiam procedens deciſionibus ſuis præſcribere poſſet illud: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, ex Act. XV. 28.* & privilegio infallibilitatis gauderet. Falli enim poſſe Synodum æquè ac fidelium quemlibet credimus & exemplis plurimis compertum habemus.

IV. Ut adeo 4. hæc non pugnent, quemlibet è ſacro textu poſſe decernere credenda, & tamen Paſtores & Doctores in Synodo congregatos non poſſe abſolutâ certitudine controverſias fidei decidere. Poſteſt ille decernere; Poſſunt hi quoque. Poſteſt ille ſine errore, ſi quod agendum eſt, ut dictum, agat; Poſſunt & hi, ſi in timore Domini agentes debitâ cum ſolicitudine & circumſpectione ſecundùm Scripturas controverſias fidei decidant. Quæ illa *domeſtica eſt praxis*, cui nullum à certitudine decidendi abſolutâ negatâ, præjudicium accedit. Poſteſt verò & ille non obſtante *Scripturarum claritate* errare in *decernendis credendis* vitio non Scripturæ ſed ſuo; Poſſunt & hi, ſi præcipitanter agant, in partes ſcindantur, factionibus abrepti, non rem ipſam ſed perſonas ſpectent, adeoque non ſecundùm *S. Scripturæ claritatem*, ſed ſecundùm affectuum vehementiam ad deciſionem progrediantur. Ex quo fit, quòd illorum deciſiones, licet benè ſemper præſumendum ſit, nunquam habeant *certitudinem abſolutam* in ſe quatenus autoritativè pronunciantur, ſed quatenus verbo Dei & infallibili S. Scripturæ canoni conveniunt. Id quod ipſa praxis confirmat, ſi *canones Synodi Dordracena* inſpiciantur, concepti

cepti verbis Scripturæ, additis etiam in primo capite doctrinæ allegationibus, nulla usquam errorum rejectione per *anathema* simplex, uti in *Concilio Tridentino* factum, sed allegatis ex S. Scriptura rationibus continuo quodam tenore. Nihil ergo in his omnibus vel sibi non constans, vel cum praxi pugnans, vel ullo modo admirandum.

ADMIRANDUM II.

Admirandum similiter est, quomodo Protestantes doceant, unumquemque fidelium esse certum certitudine fidei divina de sua justificatione & predestinatione, nec tamen totam synodum, quæ ejusmodi certitudinem in singulis ejus membris sibi vendicat, posse aut velle determinare articulos ad justificationem obtinendam necessarios, ita ut quicumque illos non admisit, ad justificationem pervenire nequeat.

Sic rursus Fratres *l. c. cap. IX. §. 6.* verum ita ut magis hinc adhuc eorundem perplexam argumentandi rationem miremur, dum adeo securè de Protestantium placitis ex suâ potius præsumptione quàm illorum genuinâ mente pronunciant, tantum ut hæc quæ sibi optimè constant, committant, licet hoc ipso fluctus in simpulo excitent. Nam I. supponunt *certitudinem fidei & salutis*, quam Protestantes fidelibus tribuunt, necessariò *determinationem articulorum necessariorum* inferre, quatenus nempe fides est assensus quo illi quod ad salutem creditu necessarium est, ad stipulamur. Atqui noverant, non hanc esse Protestantium mentem, eosque gravissimis de causis negare, istam articulorum necessariorum determinationem absolutam, qualem adversarii requirunt, ad fidem & salutem, necessariam esse. Vid. *Clauberg. de fidei veritate fundamentalis Disp. 6. & seq. Disp. Duisburg. pag. 275. & seq.* Noverant, aliter certitudinem hanc ab ipsis describi. *Can. Synod. Dordrac. cap. 5. de perseverantia art. 9. De hac electorum ad salutem custodia vereque fidelium in fide perseverantia, ipsi fideles certi esse possunt, & sunt, pro mensura fidei, quâ certò credunt se esse & perpetuò mansuros vera & viva Ecclesie membra, habere remissionem peccatorum & vitam aeternam.* Et *Calovius Synops. contro. disp. 16. th. 4. justificati indubitato certi sunt, sibi remissa esse peccata seque in gratia Dei esse, certitudine fidei divina, cui non potest subesse falsum.* Nihil in his est quod determinationem articulorum necessariorum absolutam postulet. Nam non sine causa quoque

que *mensura fidei* fit mentio, quum hæc, in notitiâ æquè & assensu atque fiducia meritum Christi sibi applicante, gradus admittat, possitque uni necessarium esse quod alteri non est, & ab uno implicitè credi quod ab altero explicitè est credendum; credi quædam possint assensu generali quo verbo Dei ad stipulamur omnibusque ab eo in Scripturâ revelatis; quædam speciali credenda sint, sine quibus ad justificationem nemo potest pervenire, nempe neminem coram Deo justificari, nisi acta seriò de peccatis pœnitentiâ, in perfectâ Jesu Christi unici Servatoris obedientia & justitia per communionem passionum & resurrectionis ipsius, suam justitiam quærat & inveniat ac per hanc verâ fide apprehensam sibi que imputatam, coram Deo justus declaretur. *Act. II. 38. & XVI 30. 31. Rom. IV. 23. 24. 25. Gal. II. 16. Phil. III. 9. 10.* Quomodo *Christus quâ justitia credentis* articulus ille maximè necessarius est sine quo credito nemo ad justificationem aut salutem potest pervenire. Vid. Cl. *Heidegger. Tom. 2. Dissert. 7. §. 23. & seq.*

II. Perinde 2. malè supponunt, *Synodum* aliquam *totam, ejusmodi certitudinem in singulis membris sibi* semper *vendicare*. Fieri enim utique potest, nostris non diffidentibus; ut quandoque in Pastorum aut membrorum Synodi alicujus numero sint hypocritæ, quibus hæc certitudo non verè conveniat. Quo casu certè Synodus tum non in singulis membris eam sibi certitudinem poterit vendicare. Imò si vel id verum sit, prout ex charitatis judicio id ut plurimum verum est, falsum tamen 3. talem Synodum *non posse aut velle determinare articulos ad justificationem obtinendam necessarios ut quicumque illos non admisit ad justificationem pervenire nequeat*. Annon enim in capitibus religionis Christianæ,annon in catechesibus dudum determinati sunt? Annon ad eundem ferè modum ut Fratres *de articulis necessariis sect. 19.* agunt, Pastores in quotidiano ministerii sui exercitio etiam extra Synodum, necessaria ista determinant, dummodo *verbo Dei per Ecclesiam proposito* verbum Dei scriptum substituas? Aliud ergo *non posse aut velle determinare secundùm quid*, quantum fidelibus pro conditione illorum & diversa fidei mensura sufficit; Aliud, *non posse aut velle determinare absolute*, prout adversarii à nobis postulant, *explicitè & numeratò* articulos qui omnibus & singulis sine ullo ad circumstantias respectu nec plures nec pauciores ita cognitu & creditu necessarii sint, ut si quis eorum quid ignoret, non possit fervari, aut si quid extra hoc ignoret aut non credat, tamen id haud possit saluti nocere. Priori modo *possunt nostri & volunt determinare articulos*

culos necessarios lubentes, neque ad id Synodo est opus. Posteriori autem, non necessariam, temerariam, captiosam, iniquam, inutilem, noxiam, imò quodammodo impossibilem hujusmodi determinationem esse merito existimant. Paralogismus ergo Fratrum est, quasi manifestè hinc doctrina Protestantium vacillaret, nihilque in his omnibus admirandum, nisi illud ipsum quòd quæ facile poterant conciliari, tantopere mirentur.

ADMIRANDUM III.

Sed admirandum imprimis est, quomodo Protestantes adversus testatissimum consensum primitivæ Ecclesiæ, Seniores suos, quos volunt esse Episcopos, infra ordinarios Pastores collocent, quibus nec nomen Presbyteri, nec nomen Episcopi concedunt. Quid enim magis patet ex praxi antiquitatis, quàm Episcopos in Ecclesiis particularibus, primum locum inter Ministros tenuisse?

I.

Hic verò *admirandum imprimis* certè est, quòd Viri auctoritate & ingenio præstantes, vel adeo negligenter, vel adeo captiosè, in re liquida fuerint verlati. Terminis enim lusisse ut dicam, nec illorum, nec argumenti gravitas, permittit. Distinguantur nempe voces *Episcopi* & *Presbyteri* ambiguae, prout ab ipsismet quadantenus fit, & quodnam tum supererit admirationis argumentum?

II. *Seniores*, Laicos nempe, quos *Protestantes infra ordinarios Pastores collocant*, iidem volunt *Episcopos* esse, si hanc vocem appellativè sumas eâ latitudine quâ apud Græcos usitata est, ut sit idem quod *σκοπος*. Nempe qui curam alicujus rei gerit, ad illam attendit & anne omnia ex præscripto fiant speculatur, cujusmodi Pericli Atheniensi in Reip. Administratione *Episcopus* Phidias erat, de quo *Plutarchus in Pericle*. Πάντα δὲ διεύπειρε καὶ πάντων ἐπίσκοπος ἦν αὐτῷ Φειδίας. *Omniū dispensator & arbiter illi erat Phidias.* Sic *Act. XX. 28.* hoc sensu omnes presbyteros Ephesinos à Paulo Miletum evocatos *ἐπισκόπους* seu *episcopos* dici, ita ut ad presbyteros non laborantes in verbo æquè ac ad laborantes seu pastores propriè dictos id sit extendendum, totus contextus evincit. Neque illorum officium aliud est nisi talis *ἐπισκοπή* & cura quâ cum Pastoribus disciplinam Ecclesiasticam exercent & omni nisu provident ut

B

in

in Ecclesia omnia decenter & ordine fiant, scandalis occurratur & hæc tolerantur, quod in Constitutionibus Ecclesiasticis plenius exponitur. *Discip. Eccl. Gall. cap. 3. art. 3.* L'office des Anciens est de veiller sur le Troupeau avec les Pasteurs, faire que le peuple s'assemble, & que chacun se trouve aux saintes Congregations; faire rapport des scandales & des fautes, en connoistre & juger avec les Pasteurs; & en general avoir soin avec eux de toutes choses semblables qui concernent l'ordre, l'entretien & gouvernement de l'Eglise. h. c. Seniorum officium est, ut gregi unacum Pastoribus invigilent, curare ut populus conveniat & quisque sacris congregationibus intersit; de scandalis & lapsibus referre, atque unacum Pastoribus de his cognoscere & judicare; ac in genere curam juxta cum illis gerere in omnibus ejusmodi quæ ordinem, conservationem & gubernationem Ecclesie spectant. Eodem etiam modo *Canones Eccles. Synod. Nat. Dordrac. §. XXIII.* hoc officium describunt, Seniorum partes sunt (præter ea, quæ supra art. XVI. iis cum Ministro verbi communia esse dicuntur) invigilare, ut Ministri nec non ceteri Collegæ & Diaconi, officio fideliter defungantur: Visitationibus etiam vacare, si tempus & locus ad edificationem Ecclesie, cum ante, tum post Sacram Cœnam, patiatur, ut membra præsertim Ecclesie solatiis erigant ac erudiant & alios quoque ad religionem Christianam monitis & hortatibus accendant. Fuliùs verò *Ord. presbyterialis Hassiaca tit. 3. vom Ampt der Eltesten auffer ihrer Versammlung.* Et *Ord. Eccles. Lippiaca de anno 1684. cap. XI.* Von den Presbyteris oder Kirch. Eltesten/ wie dieselbe bey jeder Gemeine anzuordnen und wie sie ihre Conventus halten / auch ihr Ampt verrichten sollen. Conferatur quoque *Polit. Eccles. Zepperi lib. 2. cap. 16. & Voet. Part. 2. lib. 2. tract. 3. cap. 4.* qui de officio Seniorum seu presbyterorum gubernantium ex professo agunt.

III. Ita porro 2. Protestantes ordinariis Pastoribus nec nomen presbyteri nec nomen Episcopi concedunt, si nempe nomen & Presbyteri & Episcopi eo sensu capiatur quo unum alteri contradistinguitur, quo Presbyter relationem ad sacrificium Missæ incruentum habet, quo Episcopo potestas quædam Jurisdictionis tribuitur, quo uterque terminus, seculorum à simplicitate Apostolicâ declinantium abusu, aliter cœpit intelligi & in titulum aliquem ordinis aut gradus in Hierarchia Ecclesiastica conversus est. Eo utique sensu, nec injuria, nolunt Protestantium plerique Pastores suos ordinarios Presbyteros aut Episcopos vocari, præsertim cum ad evitandam confusionem, distinctionis ergo, nomen Presbyteri

teri

zeri illis qui non laborant in verbo, sed *presbyteri* solùm gubernantes sunt, adhæserit, atque dignitas *Episcoporum* in Papatu eminens, quâ Principes sunt, imò Principibus antecellunt & Principes vasallos quandoque habent, titulum quoque illum adeo illustrem reddiderit, ut nullius Ministri in Ecclesia munus eò assurgere visum sit, quin simul, si *Episcopus* diceretur, dignitatem non Ecclesiasticam sed politicam & civilem affectare videretur. Unde factum quoque esse existimo, ut cum in nonnullis Evangelicorum Ecclesiis, Regnis nempe Septentrionalibus, antistites Ecclesiarum, titulum *Episcoporum*, etiam post reformationem, retinuerint, id tamen ubique in Imperio Romano-Germanico mutatum, & qui secundum subordinationem aliquam fraternam, ordinis gratia ad commodiorem pro locorum & temporum ratione negotiorum Ecclesiasticorum administrationem, suis in ministerio fratribus præfecti, *Superintendentes*, vel etiam, termino humilioris & factum magis reprimente, *Inspectores* sint dicti.

IV. Verùm 3. nec id universaliter verum est, quòd *Protestantes* Pastoribus suis *nec nomen Presbyteri, nec nomen Episcopi concedant*. Quotquot enim negant jure divino Presbyterum ab Episcopo distingui, qui ex loco *1. Tim. V. 17. Presbyteros in sermone & doctrina laborantes à non laborantibus* sed gubernantibus solùm *Presbyteris* discernunt, qui *Episcopos* plures i. e. pastores in eadem urbe fuisse ex *Act. XX. 18. 28. coll. & Philip. I. 1.* evincunt: procul dubio concedunt quoque posse pastores suos sensu illo apostolico *Presbyteros & Episcopos* vocari, si usus ita ferret, atque voces hæ Græcæ, ut plures aliæ, non consuetudine scriptorum Ecclesiasticorum & Juris Canonici, in alium hodie & strictiorem sensum cœpissent usurpari. Tum etiam Pastoribus suis *Protestantes* nihilominus sano sensu nomen *Presbyteri & Episcopi* tribuere ipso facto constat, ex titulo *Episcopi* qui *O Ecolampadio* tribuitur in epitaphio quod ipsi *Basileæ* in circuitu templi Cathedralis erectum & apud *Melch. Adamum* in *Vitæ ejus* legitur. *D. O. M. & Christo sacrum D. Joannes O Ecolampadius Professione Theologus, trium linguarum peritissimus, author Evangelicæ doctrinæ in hac urbe primus & templi hujus verus EPISCOPUS, ut doctrinæ sic vitæ sanctimonia colendissimus sub breve saxum hoc reconditus jacet. Moritur Cal. Decembr. Anno MDXXXI. ætatis XLIX.* Constat quoque exinde, quòd non in Angliâ solùm, ubi forma Hierarchiæ Ecclesiasticæ ob rationes Politicas retenta, *Presbyteri & Episcopi* dentur, sed alibi quoque inter *Protestantes*, etiam *Reformatos*. Cum enim

enim quod Græcè *Presbyter*, Latinè *Senior* sit, evidens quoque, ubi *Seniores* & *Conseniores* dantur, uti in Polonia & Lithuania, ibi *Presbyteros* dari. Neque hi à nomine *Episcopi* abhorrent, quod in Hungaria quoque & Transylvania etiamnum hodie receptum. De quo *Rat. discipl. Fratr. Bohem. tit. de Senioribus pag. 26. Senior seu Episcopus est persona etate & donis Dei conspicua, omnium Ministrorum Suffragiis, ad ordinis in totâ Unitate custodiam, electa, ut quisque suo loco constitutus officium faciat opusque Dei sine scandalis & confusione ubique procedat, attendens &c. Tales Episcopi quatuor, quinque, sex, prout necessitas postulaverit, constitui solent: & unicuique sua diœcesis sive certus Ecclesiarum & Pastorum numerus assignari &c.* Ita *Simeon Theophilus Turnovius* se ἐπίσκοπον appellat *Orthodox. in Maj. Pol. Confess. Bohemica Ecclesiarum* in subscriptione utriusque Epistolæ, quam primùm solus, deinde cum aliis ad Meletium Patriarcham Constantinop. an. 1599. dedit. Vid. *Hist. Eccles. Slavon. Provinc. Regenvolscii pag. 494. & 496.*

V. Unde 4. denique facile apparet, quàm insignis sit Fratrum paralogismus, quibus cùm notum esset, quales sint illi Protestantium *Seniores*, quos *infra ordinarios Pastores collocant*, quo sensu item eosdem *Episcopos* esse quadantenus admittant, *Pastoribus* verò *nec nomen Presbyteri, nec nomen Episcopi concedant*; tamen asserere haud veriti sunt, id *adversus testatissimum primitive Ecclesie consensum* fieri, cùm nil magis *ex praxi antiquitatis pateat quàm Episcopos, in Ecclesiis particularibus, primum locum inter Ministros tenuisse.* Num enim nostrum quis, eâ *Seniorum laicorum* alterius planè generis & ordinis subordinatione haud obstante, id negat; aut hos *Seniores Laicos* dicit *Episcopos* esse tales qui ex praxi antiquitatis primum inter ministros locum in Ecclesiis particularibus tenuisse leguntur; aut hos *Episcopos*, in istis Ecclesiis ubi forma regiminis Episcopalis, magis aut minus restricta & limitata, in usu est, primo isto loco deturbat? Aliter rem se habere utique Fratribus compertum erat. Cur ergo non potius suam sunt admirati vitiligandi temeritatem?

Sed error fœcundus est, aliumque hic semel ex vocum ambiguitate admissus mox in sequentibus peperit. Sequitur enim statim §. 5.

AD.

ADMIRANDUM IV.

Similiter (inquiunt) admirandum est, quomodo Seniores suos, quos judicant Presbyteros & Episcopos, ad certum tempus constituent, postea in ordinem Laicorum revocandos: cum certissimum sit, eam praxin non habere fundamentum in Scriptura: eandemque consuetudini primitivæ Ecclesiæ adversari, cui temporanei Episcopi & Presbyteri fuere ignoti.

NEmpe nullus logomachiarum finis, ubi quis semel à limine aberravit. Notum erat I. Fratibus, *Seniores* illos Laicos, in sermone & doctrina non laborantes, dum ad Ecclesiam unà cum Pastoribus regendam in presbyterium adsciscuntur, hoc ipso non fieri *Clericos* (quatenus *Laicis* contradistinguuntur superbè nimis & ex illo *Job. VII. 48. 49.*) sed *laicos* manere, imò *capita* quædam *Laicorum* illustria esse, quæ ut populum repræsentent in presbyterium alleguntur, ut hoc eo verius nomen *Ecclesiæ* sustineat, quam haud soli doctores & pastores sed unà cum ipsis auditores quoque eorum constituunt, atque sic quod ad illud Seniorum Collegium seu presbyterium refertur, possit dici *Ecclesiæ* dictum esse. *Matth. XVIII. 17* Quomodo ergo si presbyterio abeant, jure dicuntur *in ordinem Laicorum revocari*? præsertim cum etiam si actu non gubernent, tamen auctoritatem veluti exconsules aut proconsules retineant.

II. Notum erat 2. quomodo Protestantes *Seniores* suos *judicent* Presbyteros & Episcopos esse, Eo videlicet sensu quo dictum, & alio planè quàm illo quo *temporarii Episcopi & Presbyteri primitivæ Ecclesiæ ignoti fuisse* dicuntur. Nam si *Episcopos* hos & *Presbyteros* eodem modo sumunt, ut *Presbyteri & Seniores laici* (liceat ita cum ipsis loqui) designentur, tales tum existisse supponendum, atque tum supererit quaestio, similis isti quæ in Scholis Politicorum agitur: *utrum magistratum præstet perpetuum an ambulatorium esse?* Videlicet, an præstet *Seniores* illos ad dies vitæ, ut ajunt, in *Presbyterio* assidere, an verò ad certos solum annos constitui aliosque deinde ipsis surrogari? Rationes etiam, quæ in utramvis partem afferuntur, cum illis Politicorum coincident. Multumque nobis concesserint Fratres, si rem concedant & de circumstantia

solùm temporis litigent quæ substantiam rei non tollit. Imò si dixerint, *temporaneos* hujusmodi *Episcopos* & *Presbyteros* *primitiva Ecclesia* *ignotos* fuisse, eadem facilitate regeremus, *idem de perpetuis dicendum*, eritq; eadem utrinque probationis difficultas, cùm *Historia Ecclesiastica*, horum quidem *Seniorum* mentionem faciens, de eo tamen, an *perpetui* vel *temporanei* fuerint, taceat. Facere enim istam horum mentionem *Ven. Voetius* probatum dedit *Polit. Eccl. lib. 2. l. c. p. 454*. In testibus quos producit, primus est *Ambrosius*, vel quisquis autor *Comment. in Epistolas Paulinas* qui *tomo V.* exstabat, nunc post *Card. Montalti* recensio- nem *tom. 3.* legitur, quem *Sixtus Senensis* *Ambrosio*, alii *Hilario* *Diacono*, *Luciferi* *lectatori*, tribuunt, ut *Bellarmin. de Scriptor. Eccl. lib. 1. c. 18.* alii *Remigio* *Lugdunensi*, ut *Maldonatus*; sed saltem *sancti* cujusdam *Hilarii* est secundùm ea quæ *Augustinus lib. 4. contra duas Epistolas Pelagianorum c. 17. 4.* sub tali elogio auctoris ex istis commentariis citat, de quo *Rivet. Crit. l. 3. c. 18.* Is ergo *Ambrosius in 1. Tim. V. 1. Synagoga* (inquit) & postea *Ecclesia Seniores* habuit, quorum sine consilio nihil agebatur in *Ecclesia*. Quod quâ negligentia obsoleverit nescio, nisi forte doctorum desidia, aut magis superbia, dum soli volunt aliquid videri. Neque dubia sunt loca, ubi *Seniores* ab *Episcopis* *Presbyteris* & *Diaconis* & clero distinguuntur. Sic in *Actis purgationis Cæciliani & Felicis* post *Coll. Carthagin. apud Augustinum* in *Breviculo*. *Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Seniores*. Idem *Augustin. lib. 3. contra Cresconium c. 56.* ex postulatione *Musticanorum* adversus *Felicianum* & *Prætextatum* hæc verba *Thiciani* recenset. *Peregrinus presbyter & Seniores Ecclesie Musticanae regionis tale desiderium prosequuntur*. Et *Epist. 136. Dilectissimis Fratribus, Clero, Senioribus & universæ plebi Ecclesie Hipponensis*. Itaque (sic cum *Voetio Polit. Eccl. l. c. p. 472.* concludere liceat) *fluctus in simpulo*. *Circumstantiam non facere aut tollere rei substantiam diximus*. *Sunt alicubi Seniores perpetui, & apud nos ut sint, ubi ita fieri expedit & potest, nemo repugnat.*

III. Nam & 3.^o absolutè verum non est, *Seniores* istos ad certum tempus constitui. Id enim non nisi per accidens fit, dum vel qui officio non satis funguntur, dimittuntur, vel qui munere hoc se abdicant, justis de causis impetrant missionem. Aliàs si velint & cum ædificatione *Ecclesie* possint, munus eorum perpetuum est, maximè in istis locis, ubi etiam publicè perinde ac ministri verbi divini tum denunciantur prius *Ecclesie*, tum introducuntur & certâ quadam formula coram facie ejus confirman-

firmantur, quam *Liturgia Ecclesiarum Reformatarum Belgii & Lippiaca* exhibet. *Ordinationes Ecclesiastica* hoc satis demonstrant. *Discipl. Gall. cap. 3. §. 7.* L'office des Anciens & Diacres, comme nous en usons aujourd'hui n'est pas perpetuel: toute fois d'autant que les changemens sont dommageables ils seront exhortez de continuer en leurs charges tant que faire se pourra, & s'ils s'en departent, ce ne sera point sans congé de leurs Eglises. h. e. *Officium Seniorum & Diaconorum*, prout hodie isto utimur, non est perpetuum: Nihilominus tamen siquidem mutationes cum detrimento conjunctae solent esse, adhortandi sunt ut quoad fieri potest in officio maneant, & si resignent, id non fiat, nisi missione & venia ab Ecclesia prius impetrata. *Ordin. Presbyt. Hassiaca tit. 2.* Wiewohl es nicht gar rathsam / oder vorträglich / daß die Eltisten / welche fleißig ihr Ampt thun / oft geändert oder abgewechselt werden; Jedoch / weil um sonderbahrer erheblichen Ursachen willen / solche Veränderung und Abwechselung nicht allerdings kan vermittlen werden / so soll man allwege / wann Eltisten gewehlet werden / am ersten mit den gewesenen und die da abkommen sollen / handelen / ob sie länger bleiben / und solch Ampt also / wie bißhero / in treuen verrichten wolten / so dörfste es keiner änderung / wo sie aber sich nicht bereden lassen wolten / soll darinn allwege dahin gesehen werden / daß zum wenigsten der halbe Theil bleibe. *Confer. Ord. Eccles. Lippiaca de anno 1684. cap. 11. §. 35.* Hinc Zepperus l. c. p. 541. expressè: *Confirmati, nisi evidens quaedam necessitas vel utilitas Ecclesiae postulet, non facile alternabuntur, in primis si officium faciant.* Habet ergo praxis illa fundamentum in Scriptura, nempe in regula generali ut omnia ordine & decenter fiant *1. Cor. XIV. 40.* ex quâ determinatio particularium pendet. Quòd si ergo Ecclesiae Pastor, si officium non faciat, ab eo removeri, vel si missionem justis de causis petat, ab Ecclesia dimitti potest, cur non id quoque in *Senioribus* locum habeat magis, quorum munus non eam vocationem & consecrationem peculiarem quam ministerium habet? Neque dici potest tale quid *consuetudini primitivae Ecclesiae adversari*, cum de eâ non satis ex *Historia Ecclesiastica* nobis constet. Imò probabile potius sit, dato casu, simili modo actum fuisse.

IV. Quòd si 4. denique Fratres, *Episcopos & Presbyteros temporaneos*, quos *primitivae Ecclesiae ignotos fuisse* dicunt, non ex sensu nostro sed suo capiant, de *Episcopis & Presbyteris* in sermone & doctrina laborantibus, per ordinationem ad ministerium Ecclesiae segregatis, verum quidem est, tales in *Ecclesia primitiva temporaneos* haud fuisse; sed cum
de

de illis haud quaestio fit, verum de *Senioribus Laicis* agatur, alterius plane ordinis & officii, admiranda hinc orietur logomachia, quae tandem in nihilum recidet, perinde atque quod sequitur §. 6.

ADMIRANDUM V.

Nec minus (ajunt) mirum videri potest, quod, qui suos Seniores pro Episcopis habent, constituant Inspectores, qui revera nihil aliud sint, nisi Episcopi, & tamen iisdem nomen Episcopi denegent, quantumvis in ratione Superioritatis ab Episcopis non differant. Quomodo autem Seniores suos, quos ex jure divino tradunt esse Episcopos, subjiciant Inspectoribus, ex jure humano constitutis, ipsi viderint.

Videamus ergo, anne haec inter se consistere nequeant, aut hic quicquam sit, quod ad praxin Ecclesiae nostrae recte attendenti adeo mirum queat videri, dummodo terminorum ambiguitas tollatur & sequentia observentur 1. *Seniores* illos Laicos (de quibus hic unice quaestio est) nec dici *Episcopos* inter nos, nec esse, nisi significatu illo latissimo quo qui curam alicujus rei sub directione alterius gerit, *Episcopus* dici posset aequè ac *curator* aut *administrator*, nisi usus penes quem norma loquendi est repugnaret, qui *Episcopum* jam titulum dignitatis Ecclesiasticae eminentioris constituit. 2. *Inspectores*, qui in Palatinatu maximè in locum *Superintendentium* successerunt, *revera* quidem *nihil aliud nisi Episcopos esse*, sed tum demum si rursus hanc vocem in significatu illo latiore capias, quatenus praeter curam Pastoralem suam quisque Ecclesiae, etiam vicinarum & aliorum in his Pastorum sibi demandatam habet. 3. His *Inspectoribus* nomen *Episcopi* merito denegari ob causas dictas, quod id Principes sibi vindicassent & de consuetudine Germaniae jam aliquid illustrius sonaret quam ut posset cum illa qualicunque ordinis & regiminis Ecclesiastici praerogativa consistere. 4. Eisdem *Inspectores* quoque ratione *Superioritatis* ab *Episcopis* differre. Sic enim supra ceteros classis suae pastores eminent, ut tamen cum istis ceu fratribus in conventibus communicent de rebus ad regimen pertinentibus, nullam habeant jurisdictionis potestatem & in omni functionis suae exercitio Senatui Ecclesiastico subsint, cum *Episcopi* ex adverbo, non jam illi in Papatu de quibus

bus

bus res evidens, sed etiam isti in Anglia, Scotia, Hybernia ac regnis Septentrionalibus *Episcopi* inter Protestantas, ut in nonnullis *Archiepiscopos* suos Superiores agnoscant, tamen in aliis plurimum supra istos *Inspectores* emineant & potestatem habeant ab alio Superiori Ecclesiastico independentem. 5. *Seniores* Laicos, eodem jure divino, quo significatu latissimo illo *Episcopi* vel potius *Ephori* Ecclesiarum sunt, simul quoque non *Inspectoribus* solum, quos horum *Seniorum* functio quæ talis non respicit, sed quoque Pastoribus suis in tantum subjici ut ab horum directione pendeant. 6. Non posse dici *Inspectores* jure humano constitutos nisi quoad nomen Latinum Græco substitutum, idem tamen significans, & quoad potestatis, exorbitantis facile, limitationem & restrictionem talem, quæ cum æqualitate ministrorum in jure divino fundatâ melius consistere possit quàm illa quidem *Episcoporum* τῶν κατακυριευόντων supereminentia, quos tamen jure divino constitutos adversarii pertendunt.

II. Hæc enim omnia si benè perpendantur, parallogismus Fratrum evidenter patebit. Nam 1. haud mirum, dari *Seniores* Laicos, qui curam Ecclesiæ gerant adeoque quadantenus illud quod *Episcoporum* est agant, & tamen insuper adhuc *Inspectores* constitui; cum Ecclesiæ cura possit esse penes plures, plures possint esse unius Ecclesiæ *Episcopi*, uti supra ex *Act. XX. 17. 28. coll. & Phil. I. 1.* probatum, neque magis repugnet *Episcopo* *Episcopum* vel potius *Seniori* *Inspectorem* dari, quàm *Episcopum* directioni *Archiepiscopi* sui lubesse, quod tamen in Papatu obtinet. 2. Neque mirum, *Inspectoribus* nomen *Episcopi* hodie denegari, cum revera aliud quàm *Episcopi* hodierni sint & in ratione *Superioritatis* plurimum ab *Episcopis* differant, prout ostensum. 3. Denique nec id mirum, quòd *Seniores* Laici apud nos *Inspectoribus* subjiciantur. Neque enim illi magis jure divino *Episcopi* sunt quàm hi, aut hi jure humano magis quàm *Seniores* constituti, nisi nominis Græci in Latinum mutatio & sublatio abusus in officio ejusque ad limites priores reductio, novam det constitutionem eamque humanam, utut ex jure divino fluat & in eo fundetur. Quare concludimus, neque hic fuisse causam justam, ut Fratres tantopere mirarentur ea, quæ sublatâ per distinctionem terminorum ambiguitate, optimè sibi constabant. Sequitur porrò

C

AD-

ADMIRANDUM VI.

Mirum (inquiunt) videtur, quomodo Protestantes, petitionem intercessionis à viventibus, non judicent præjudicare titulis Mediatoris & Advocati; & tamen velint iisdem titulis præjudicari per petitionem intercessionis à regnantibus cum Christo sanctis. Cur enim non potius præjudicabit iis titulis, qui viventes interpellat, de quorum sanctitate certitudinem non habet; quàm qui S. S. Apostolos invocat, de quorum sanctitate nullus dubitat? Cur Christus non patiatur eos invocari, sine præjudicio honoris sui, quos gloria suæ voluit esse consortes; & eos permittat interpellari, de quorum futura gloria nos voluit esse incertos?

HÆc quæ cap. XVI. §. 2. occurrunt, aliquam fateor speciem habent, & primo aspectu miranda videntur. Sed si quis rectè ad sententiam Protestantium attendat, & inter se componat, quomodo hinc intercessiones à viventibus petant, citra præjudicium intercessionis Christi tanquam unici Mediatoris & Advocati, inde negent illas posse à Sanctis demortuis peti quin titulis istis Servatoris præjudicetur, nil supererit quod mirum videatur. Solent Communionis Romanæ Doctores ab intercessione viventium ad intercessionem Sanctorum demortuorum arguentari. Quæ si consequentia firma foret, fuisset in quo nostrum mirarentur stuporem. At cum contrarium pridem à nostris ostensum sit, non miremur denuo id cum admiratione repositum?

II. Usus fuerat hoc argumento *Bellarminus lib. 1. de sanct. beatit. c. 19. Præterea (inquit) in utroque Testamento sæpè legimus viventes à viventibus invocatos.* Quod exemplis Samuelis & Israelitarum 1. Sam. 7. Jobi & amicorum ejus Job. cap. ult. Pauli pluribus locis eos ad quos scribit orantis ut se adjuvent suis pro se apud Deum orationibus Rom. 15. Eph. 6. 1. Thess. 5. 2. Thess. 3. Coloss. 4. & Hebr. 13. confirmarat & hinc intulerat. *Ergo licebit etiam nunc invocare eosdem sanctos cum Christo regnantes.* Consequentiam quoque firmarat. *Nam (pergit) nunc non licet, vel quia nolunt: & hoc non, cum sint majori charitate præditi quàm antea & (ut loquitur Cyprianus sermone de mortalitate*
de

de sua immortalitate securi & de nostra incolumitate solliciti: vel quia non possunt: & hoc non, quia si poterant cum hic essent peregrini, quanto magis nunc poterunt in patria? vel quòd non sciant quid oremus; & hoc non, quia unde sciunt Angeli conversionem peccatorum pro qua tanto pere gaudent in caelis, ut dicitur Luc. 15. inde sciunt sancti nostras preces: vel demum quia fit injuria Deo aut Christo, si alius quàm ipse invocetur: & hoc non, quia tunc non liceret viventes invocare. Subjunxerat deniq; triumphabundus. Atque hoc argumentum adversarii nunquam solve potuerunt. Nimis certè confidenter.

III. Solvit enim id Junius in animadversionibus in h. l. & solvit, vivo adhuc Bellarmino & multis annis superstitite atque falsam esse gloriationem ostendit, quando rationem disparē esse dixit, & proinde argumentationem inconsequentem. Monuit nihil sequi ex insufficiente enumeratione causarum. Nam si nunc non licet, vel ex parte ipsorum non licet, vel ex parte nostra, vel ex utraque simul. Ex parte nostra non licet, quia nobis hic viventibus nec mandavit nec promisit Deus: quæ conditiones quum desunt, oratio fidei non potest appellari. Hanc autem nobis præcipit & probat Deus. Ex parte ipsorum cur non liceat ad singula argumentationis membra demonstrat. Ad 1. vel quia nolunt, distinguit. Idem enim & volunt & nolunt. Volunt *δὴ* *συνπαθεῖας* communiter consensu, quem ex verbo Dei suaque ipsorum experientia & conscientia habent, & orant communiter. Nolunt *δὲ* *ἰδιοπαθεῖας* i. e. particulari aut singulari sensu, quia nec à Deo vocati sunt eò, nec habent nostrarum rerum particularem sensum, nec habere possunt. Charitate quidem sunt præditi eaque perfecta: sed scientia, potentia, vocatione ad res particulares nostras minimè instructi sunt homines mortui. Ad 2. vel quia non possunt, negat posse propter rationem communem naturæ ipsorum & nostræ, cum neq; nos per naturam nostram voces & vota nostra ferre in cælum possimus ad sensum ipsorum, neque illi è cælo quæ hic dicuntur, optantur, fiunt, per suam naturam percipere. Quæ ratione consequentia, si poterant cum hic essent peregrini, quanto magis nunc poterunt in patria? tum demum procederet, si cætera essent paria i. e. si illi tam nobis præsentibus essent, scirent, possent, vocati essent, & nos quoque vocati esse. Sed in hoc casu diversa omnia. Ad 3. vel quòd non sciant quid oremus, negat consequentiam ab Angelis ad homines firmam esse de cognitione particulari. Angelos enim ascendere & descendere, videre præsentibus & audire quæ absen-

absentes etiam recordantur & referunt; sanctos autem homines in caelis conquiescere. Aliam quoque conversionis, quam omnes vident, aliam precum, quæ sæpè interiori motu solum cordis fiunt, esse rationem. Ad 4. *vel quia fit injuria Deo aut Christo si alius quam ipse invocetur*, misso illo de titulo mediatoris & advocati argumento ad quod jam antea responderat, id solum urget, quod nemo nisi præsens invocari possit adeoque sic omnipræsentia sanctis communicaretur, quæ soli Deo & Christo convenit, dum sancti nec per essentiam, nec per virtutem & mediantem significationem sunt præsentis, contra quam in viventibus res se habet, qui aut præsentis invocantur, aut præsentis significatione mediante.

IV. Solvit quoque idem argumentum *Amesius Bellarmini enervati pag. 202.* nervosè monendo, *viventes à viventibus non propriè invocari: quia non religiosè coluntur. Non medii ordinis inter nos & Deum haberi patronos, sed ejusdem nobiscum distantia status, ut fratres. Vota tantum viventium, non merita secundum Scripturas implorari. Quod agitur in hoc genere communicationis, inter viventes, id fundamentum habere in eorum natura: sed hominum mortuorum, absentium, non omnipræsentium, nec omniscientium, non sibi quidem, nedum nobis, sufficientia merita habentium, natura prorsus repugnare.* Quæ omnia *Erbermannus Bellarmini sui vindicati Tom. 2. pag. 298.* quasi non dicta aut scripta esset, prorsus silentio, vel potius oblivione, transmisit, dum, alienam planè digressionem in Titium invecit, sic ad Amesium redit, ut illa quæ vim argumenti maximè enervant, ne tangat quidem & tamen pro more suo clamet. *Probatum efficaciter, unico sed invictò dilemmate. Et rursus concludat, interim firmo talo stat contra impios Hagiomachos Achilles iste. Si nefaria idololatria est, petere preces sanctorum beatorum eorummet, quos adhuc in hac vita licitum erat & utile invocare; id vel est, quod nostras necessitates & preces non cognoscant, vel quod nolint nobis succurrere, vel quod hoc ipsum non possint; vel demum quod injuria fiat Deo & Christo, dum quis alius invocatur. At nihil horum obstat, ut ex objectionum solutione constabit.* Quasi strenuè convitari & se insolenter jactare, esset argumenta solvere. Quasi ubi ad solutionem palmariam nil respondetur, dicere sufficiat cum eodem *Erbermanno pag. 300.* *Manet certè semper insolutum illud fundamentale argumentum, supra: Viatores pro invicem orantes (sive sponte sive rogati) nullam faciunt Christi meritis injuriam. Ergo nec preces Beatorum, sive rogati & invocati, sive sponte pro nobis fundant.*

V. Usus

V. Ufus erat eodem argumento *Becanus Manual. l. 1. c. 7. pag. 191.* & id quasi in fronte collocaverat dum per modum retorsionis ad argumentum nostrum à solius Dei invocatione ex Deut. 6. 13. & Matth. 4. 10. desumptum respondet: *Hoc argumentum (inquit) detorqueri potest in adversarios, hoc modo: solus Deus vult invocari juxta Scripturam citatam. Ergo adversarii faciunt injuriam Deo quando invocant sanctos in hac vitâ existentes. Et Apostolus fecit injuriam Deo, cum scripsit Thessalonicensibus: Fratres orate pro nobis. Et similiter Jacobus cum Christianos hortatus est: Orate pro invicem ut salvemini. Idem repetierat respondendo ad argumentum à Christo ceu unico mediatore desumptum. Hoc argumentum aequè (inquit) procedit de sanctis hujus vitæ ac alterius. Si ergo propterea, quia Christus est unicus Mediator noster, non liceret recurrere ad sanctos in cælo existentes, non liceret eadem ratione recurrere ad eos qui nobiscum vivunt, quod tamen est contra adversarios. Si autem sine ulla injuria Christi Mediatoris possumus invocare sanctos nobiscum degentes (ut revera possumus) cur non similiter sanctos in cælo triumphantes? Non enim apparet, cur hoc magis sit Christo injuriosum quàm illud. Imò statim ad idem recurrerat tertio pag. 192. Sancti sunt tantùm Mediatores secundarii, quia postquam à Christo redempti sumus, intercedunt pro nobis ut redemptionis fructum percipiamus. Neque hac intercessio ullo modo obscurat officium Mediatoris Christi, Primò, quia intercessio viventium in terris non obscurat illud, ut dictum est, Ergo nec intercessio Sanctorum in cælo existentium. Non enim frustra p. 190. præmiserat ceu à nobis concessum, nempe licitum esse invocare eos qui nobiscum in hac vitâ degunt Coloss. 4. 2. & 1. Thess. 5. 25. & 2. Thess. 3. 1. & Jac. 5. 16.*

VI. Sed ad ea solidè responderat quoque Venerandus *Crocus* noster in *Anti-Becano Tom. 2. pag. 13.* *fam apparet (inquit) cur argumentorum nostrorum solutioni præmittere voluerit invocationem viventium in hac vitâ, tanquam à nobis concessam. Hæc enim ubique illi est prima defensio. At inutilis. Deteximus enim fraudem excussa ambiguitate. Inde vim suam amittit retorsio. Si sanctos viventes invocarem religiosè, omninò faceremus Deo injuriam. Id verò nec nos facimus nec fecit Apostolus, sive Paulus, sive Jacobus. Nos utiliter vivos invocamus id est rogamus ab eis postulantes officium quod jure communis fidei atque charitatis & nos petere ab illis & illi nobis præstare debent. Sic Paulus suos Thessalonicenses orare poterat, quos tamen potius*

officii admonet. Iacobus legem praescribit quam orando teneant, quod Claudius Guiliandus ad h. l. lubens agnoscit. Ne rogat quidem, tantum abest ut eos invocet. Praescribit autem legem de oratione non quâ alii alios invocent sed quâ alii pro aliis orent Deum, non quæ nitatur merito orantis, sed quæ fiat ex jure communis fidei & charitatis, quia mutua esse debet, quâ Deo nullam injuriam fieri, patet duplici argumento. Vnum est, quia à Deo præcepta; Præceptorum autem divinorum observatione non fit injuria Deo, sed illius impletur voluntas & illustratur gloria. Alterum, quia habet promissionem exauditionis. Alia est religiosa invocationis ratio. Nusquam præcepit Deus, ut sanctos religiosè invocemus, nusquam exauditionem promisit iis, qui sanctos religiosè invocant. Et rursum pag. 20. Frustra ad hanc fraudem recurrit sophista, quam supra moliebatur in antecessum. Detecta enim est, priusquam veniretur ad argumenta, dispar ratio. Citra Christi injuriam sanctos hic degentes communi Suffragio interpellas civiliter. Christus enim hoc præcepit, nec quicquam ad Mediatoris munus illæ preces pertinent. Inde non audiveris, vel Paulum, vel ullum verè pium, quorum pro se postulabant preces, appellasse unquam suos mediatores. At sancti defuncti finguntur à Papistis nostri mediatores, qui nostras preces Deo presentent idque vi suorum meritorum & obtineant per sua merita nobis remissionem peccatorum ac vitam æternam: Hoc est longe aliud. Incurrit enim in Mediatoris munus, quod Deus inter plures nullibi unquam dispertitus est &c. Iterum pag. 23. Prima ratio intercessionem viventium in his terris vel mediatoriam, vel communem notat. Si mediatoriam, falsum, non obscurare officium Christi: imò obscurat maximè. Sin communem, jam eam iniquissimo exemplo comparat cum intercessione defunctorum mediatoria. Quomodo illa obscuret officium Christi, quæ habet mandatum & nihil facit, quod ad officium mediatoris pertineat? Si negant iniquam comparationem, dicant ergo, an eodem modo mortui orent

orent

orent pro nobis, quo vivi communiter? & vivi eodem quo mortui?
 At à mortuis petunt juvari & precibus & meritis. Lombardus 4.
 sent. dist 45. Oramus sanctos, ut intercedant pro nobis, id est, ut meri-
 ta eorum nobis suffragentur. Num & omnium vivorum meritis
 juvari petunt, quorum precibus? Num Paulus Colossensium &
 Thessalonicensium non minus meritis quàm precibus est adjutus?
 Esse, vix dicent. Si non est, cur comparant imparia tanquam
 paria?

VII. Idem pag. 9. jam everterat fundamentum quod omni huic
 argumentationi veluti ex concessis erat substratum, invocationem scilicet
 viventium licitum esse. Hoc in fraudem pramittit, dixerat. Bel-
 larmino & aliis Papistis est peculiare argumentum, quod cum à
 nostris sine ullo negotio solvatur, noluit sophista in argumentis
 suis censere, sed tanquam à nobis datum præsупponere, ut urgeat in
 omnibus solutionibus tanto speciosius, Nobis sic non imponitur.
 Distinguimus enim inter orationem religiosam & civilem. Re-
 ligiosa fit precibus sacris, seu, ut Augustinus loquebatur, ritibus
 religiosis; Civilis, ex solo charitatis vinculo, cum alii alios roga-
 mus, alii ab aliis postulamus, mutuum societatis commercium sic
 exercentes. Religiosa vivorum invocatio nulli piorum unquam
 fuit in usu. Nec licita quidem. Est enim species adorationis reli-
 giosae, quam cuiquam viventium à piis tributam esse, non constat.
 Atque sic satis patefacta erat fraus quæ sub tali viventium & defunctorum
 ac interpellationum quæ apud utrosque fiunt, comparatione latebat.

VIII. Ad hæc omnia Theologi Moguntinenses in suis Animad-
 versionibus vix tribus verbis & ita respondent obiter, ut satis evidens sit,
 quod solidè responderent non habuisse. Quod pro Becano enim rege-
 runt id omne est, Pag. 235. Responderat (inquiunt) Becanus retor-
 quendo argumentum in adversarios hoc modo. Si ii qui invo-
 cant sanctos defunctos soli Deo debitum honorem ad creaturas
 transferunt. Ergo & Calvinistæ idem peccant, cum ex consilio
 Apostoli sanctorum adhuc in vitâ mortali degentium preces &
 intercessionem exposcunt: Crocius admirando usus ingenio,
 fraudem,

fraudem, uti ait quidem, excussa ambiguitate detexit. Distinguit cultum. Alium politicum & civilem, alium religiosum facit, hunc Deo injurium, istum minime asserit. Atque Domine Doctor, ista distinctionis subtilitas quid quaeso ad rem? Sic enim recurrit argumentum. Si cultus religiosus (secundarius) sanctis impensus Deo injurius est. Ergo & civilis. Aut detur disparitas. Si dicis religiosum omnem sive primum sive secundarium soli Deo deberi, principium petis & perspicue nugaris. Nempe pro ratione affers quod inter nos controversatur. Atque tum postquam multa de illo cultu religionis secundario disputassent & cultum civilem ac politicum dixissent in excellentia naturali, religiosum verò in supernaturali, creata, gratiâ nempe, gloriâ, visione beatifica & muneribus exinde profluentibus, fundari; atque hunc in primum dulia, si ista dona absolute nullo habito ad Deum respectu considerentur; ac secundarium, si ea munera cum ordine & habitudine ad Deum spectentur, divisissent, tandem concludunt. Quare distinctio Crocii, quâ nittitur contra Becanum arguere, invocationem viventium esse politicam, ideoque licitam, mortuorum verò religiosam & Numini injuriam, merissimum est commentum & effugium. Neque rursus illud à viventium interpellatione desumptum argumentum tangunt, nisi obiter pag. 239. inferendo, Et cur non adhibeamus eos Advocatos qui jam in caelis Christo adherent, quos licuit adhibere cum mortali adhuc aura nobiscum vescerentur? Minusne jam gratia valent quam tum valuerunt? Frustra obtenditur religio. Si charitas divina homines ab objecti sui ambitu non excludit, multo excludet minus religio.

IX, Hinc idem Celeb. Crocius in Vindiciis merito istis hunc Becano succurrendi conatum infelicem exprobravit Tom. 2. pag. 22. Becanus (inquit) fraudem commiserat eo, quòd in antecessum notaret, tanquam à nobis concessum, licitum esse invocare eos, qui nobiscum in hac vitâ degunt. Hoc enim Apostolos fecisse & docuisse. Detexi fraudem, distinctâ tum invocatione tum oratione aliorum pro nobis. Ostendi, civilem implorationem eorum qui nobiscum vivunt, & orationem vivorum pro aliis, quæ fit tantum ex jure communis fidei & charitatis, concedi à nobis; religiosam invocationem & orationem pro aliis, quæ fit vi meritorum propriorum minime concedi. n. 4. p. 9. Illam factò & doctrinâ Apostolorum comprobari; istam nec factò nec verbis. Becanus quatuor citaverat textus, ex Col. 4. 2. 1. Thess. 5. 25. 2. Thess. 3. 1. Jac. 5. 16. Vindicavi textus omnes & singulos p. 10. 11. nn. 5. 6. 7. 8. 9. Quid Moguntini? Ma-
gno

gno pratervehuntur silentio. Et tamen Becanus hinc omnia nostrorum argumenta conatur elidere. Tam felices sunt vindices &c. Qui invocationem civilem textibus à Becano citatis probare conatur, is minus solidè disputat. Qui inde religiosam mortuorum invocationem conatur roborare, is ineptit nimio opere. Quæ enim ratio sequela? Hic erat Bellarmino aliisque Papistas succurrendum. Illi sequelam struxerunt. Defecerunt probando.

X. Eosdem in sequentibus etiam simili ratione constringit & eorundem officias demonstrat. Pag. 27. Becanus (inquit) ante omnia conatus erat argumentum in nos retorquere. Quàm infeliciter sit conatus, patet à num. 7. pag. 15. Ibi vide. Moguntini non ausi totum repetere. Non poterant speciosè rueri. Ideo malunt omittere. Hæc lex prudentiæ nationi Lojoleæ admodum familiaris. Partem, quam videri volunt repetere, minus candidè repetunt. Becanus sic arguebat: Solus Deus vult invocari juxta Scripturam citatam. Ergo adverbarii faciunt injuriam Deo, quando invocant sanctos in hac vita existentes. Illi sic: si, qui invocant Sanctos defunctos, soli Deo debitum honorem ad creaturas transferunt: Ergo & Calvinistæ idem peccant, cum ex consilio Apostoli, sanctorum adhuc in hac vita mortali degentium preces & intercessionem expolcunt. Hæc duæ argumentandi formæ plurimum differunt, quia alicujus preces & intercessionem exposcere non mox est religiosè invocare. Superior potest exposcere preces ab inferiori: Non invocat inferiorem religiosè. Non patet ab Apostoli consilio. Nusquam dat. Becanus vel calumniam struit nostratibus, vel falsam necit sequelam. Struit calumniam, si de religiosa hæc viventium invocatione loquitur. Non invocamus religiosè. Falsam necit sequelam, si civilem compellationem per invocationem intelligat. Etsi Deus velit solus religiosè invocari, non tamen ei injuriam inferimus, quando sanctos in hac mortali degentes vitæ, jure societatis & dilectionis rogamus, ut pro nobis orent. Ita non prestamus eis δεισιαν, quò invocationem Papistæ referunt, sed poscimus. Dixi, nec me dixisse pœnitet, si Sanctos hic viventes religiosè invocamus, Deo inferre injuriam. Non sic invocamus, tantum abest, ut ex Apostolorum consilio. Hoc figmentum est malevolorum. Non est religiosa invocatio, sed rogatio civilis, quâ piorum hic degentium precibus nos commendamus. Eadem urget pag. 53. & Moguntinis suis antagonistis opponit.

XI. Quæ me omnia prolixius excerpere haud piguit, ut exinde pateret,

D

teret,

teret, an sat causæ habuerint Fratres, ut argumentum elumbe & protritum cum admiratione repeterent. Neque enim ratio gemina quam subjiciunt, auget admirationem. Quin imò minuit potius, si qualis illa viventium interpellatio sit, rectè consideremus. Nempe non sanctitate aut merito illorum qui interpellantur, nixa, sed charitate fraternâ & lege communionis sanctorum, quâ fit ut etiam superiores ab inferioribus, Paulus ab eis ad quos scribit, hujusmodi preces exposcant. Itaque quòd *primùm hinc ab incertitudine sanctitatis in viventibus, inde certitudine in sanctis cum Christi regnantibus* argumentantur, ut exinde inferant, intercessionem sanctorum demortuorum titulis *Mediatoris & Advocati*, qui Christo soli competant, nil præjudicari, id potius contrà est. Nam ut taceam, non eandem quæ Apostolorum est, aliorum quoque in turba illa sanctorum, qui in Papatu invocantur, esse rationem & sæpè minus adhuc de illorum quam de viventium sanctitate constare, annon evidens insuper, illum qui viventem de cujus sanctitate incertus est nihilominus interpellat ut pro se oret, non certè sanctitatem ejus & merita respicere ut validiorem ideo credat ejus orationem quam suam, sed amicè expetere precum *συνεργωνισμὸν*, ut plurium simul juncta suspiria eo sint validiora, quâ ratione nihil in ejusmodi precibus quòd *mediationem* aut *advocationem* sapiat? Cùm ex adverso ille qui defunctum, de cujus sanctitate se certum esse putat, cum respectu ad hanc sanctitatem interpellat de precibus, eum ceu digniorem & cujus magis efficax sit oratio allegando, hoc ipso illum ceu *mediatorem* quendam & *advocatum* constituat Deum inter & se interponat adeoque titulis Christi præjudicet.

XII. Quod etiam *secundò* credunt, Christum facile pati eos *invocari sine præjudicio honoris sui quos gloria sua voluit esse consortes, cùm interpellari eos permittat de quorum gloria futura nos voluit esse incertos*, id tum demum procederet, si ad illam sanctorum gloriam de voluntate Christi etiam honos invocationis pertineret neque dixisset ipsemet, velle se ut sibi omne genu flectatur *Jes. XLV. 23. Rom. XIV. 11. Phil. II. 10.* adeoque revera illa interpellatio, quo alii tanquam *advocati & mediatores* propter excellentiam gloriæ & meritorum intercessores constituuntur, honori ipsius præjudicaret, cujusmodi in viventibus nihil, cùm gloriæ eorum futura in quacunque interpellatione non veniat in considerationem, nihilque interfit, quòd de ea simus incerti. Restat eodem

cap. XVI. §. 4.

AD-

ADMIRANDUM VII.

Mirandum imprimis est (dicunt) quomodo Protestantes nunc doceant, Sanctos orare pro Ecclesia in communi: quorum Gallica confessio dicit: Art. 24. Credimus, quoniam Jesus Christus nobis est datus unicus Advocatus &c. quicquid homines de mortuorum Sanctorum intercessione commenti sunt, nihil aliud esse quam fraudem & fallacias Sata-næ. Et Conf. Helv. Poster. Art. 5. Sanctos cœlites, sive Divos, nec adoramus, neque colimus, nec invocamus, neque illos eorum Patre in cœlis pro intercessoribus aut mediatoribus nostris agnoscimus. Sed bene est, quòd Protestantes magis accedant ad doctrinam Catholicam.

UT hinc quoque desinant mirari qui Fratrum scripta mirantur, ostendendum est 1. quomodo Protestantes nunc doceant, Sanctos orare pro Ecclesia in communi. 2. an nunc demum ita doceant. 3. an Gallica Confessio, aut Helvetica posterior, verbis allegatis, istis quæ Protestantes sic docent, repugnent. 4. num denique Protestantes hoc ipso magis ad doctrinam Catholicam accedant. Quibus rectè excussis, patebit justum quoque hinc deficere admirationis argumentum.

I. Itaque primò ex Doctoribus, qui hoc argumentum attigerunt hoc seculo, patebit, quomodo Protestantes nunc doceant, sanctos pro Ecclesia in communi orare. Sit instar omnium Rivetus qui cum Grotius in annot. ad art. XXI. Consult. Cassandri dixisset orare Sanctos pro Ecclesia agnoscunt Protestantes, in suis animadversionibus pag. 154. respondit, Protestantes agnoscere quòd Sancti pro nobis intercedant aut pro nobis orent, ambigùè dicitur. Id fortè de generali oratione pro Ecclesia complemento, pro fidelibus militantibus in genere, agnoscunt quidam; quod etiam nos existimamus piè credi posse. Sed quòd pro omnibus & singulis, pro omnium & singulorum necessitatibus orent, id neque credimus neque verum est. Ergo non docent, sed concedunt & existimant id piè credi posse. Verùm secundo non nunc demum ita docent vel potius id concedunt quidam. Nam ipso allegante Bellarmino lib. 1. de sanct. beat. c. 29. etiam Apologia Augustana Confessionis id pridem concessit de sanctis, quòd sicut vivi orant pro Ecclesia universa in genere, ita in cœlis orent pro Ecclesia in genere. Et O Ecolampadium ac Bucerum in hanc rem citat Guil. Forbes. in Considerat. modest. & pacif. pag. 323. Vidimus etiam supra p. 19. Junium concedentem sanctos Communiter orare.

II. Ne-

II. Neque tertio id quod ex *Confessionibus Gallica & Helvetica* allegatur huic concessioni repugnat, dummodò rectè intelligatur. *Gallica* mentem totus contextus exponet qui malâ fide fuit truncatus. *Credimus* (inquit) *quoniam Iesus Christus datus est nobis unicus advocatus, qui etiam precipit ut ad Patrem suo nomine confidenter accedamus, neque nobis licet alia forma preces concipere, nisi ea quam nobis Deus verbo suo dictavit: quicquid homines de mortuorum sanctorum intercessione commenti sunt, nihil aliud esse quam fraudem & fallacias Satana, ut homines à rectâ precandi formâ abduceret.* Unde evidens, non de aliâ quàm particulari illa, quæ fundamentum invocationis est & quæ nos à rectâ precandi formâ abducit, sermonem esse, de generali verò illa, quæ nihil ad cultum vel invocationem facit, hanc *confessionem* tacere. Neque alia *confessionis Helvetica* mens, quando negat nos *Sanctos cœlites sive divos pro intercessoribus aut mediatoribus nostris agnoscere*, nempe sic agnoscere ut adoremus, colamus, invocemus tanquam *intercessores* aut *mediatores* in particulari, ubi precibus fuerint à nobis interpellati, quo sensu demum *intercessores & mediatores* fiunt. De generali illa tacet.

III. Et sanè quartò denique illi qui concedunt *Sanctos in communi pro Ecclesia orare, vel saltem, ut Rivetus loquitur, id piè credi posse existimant*, hoc ipso non magis ad doctrinam Catholicam accedunt. Nam si non alia quàm hæc foret & in Communionem Romanam agnosceretur, nihil inde pro sanctorum invocatione sequeretur, cum illa præsupponat preces in particulari in notitiam sanctorum venire, cujus etiam varios modos adversarii comminiscuntur eò usque ut *speculum* aliquod *essentia divina* excogitarint Scholastici, in quo Sancti visione beatifica creaturas in eâ apparentes videant. Si antea hanc negassent in communi orationem & nunc demum concederent, tum accessus aliquis foret. Sed vel partim non negarunt suo id loco relinquentes cum de eâ non satis ex scripturis constet, vel dudum id sano sensu concesserunt, prout verba *Apologia* citata docent. Concludamus ergo tandem, nil fuisse in his omnibus quæ velitatione hæc excussa sunt, quod Viri Eruditi, ingenio & doctrina præstantes, quibus tum suæ tum nostræ, hypotheses satis erant perspectæ, adeo mirarentur, nisi vis præsumtionis ingens & erroris efficacia eos impulisset ut dati in stuporem nos quoque raperent in admirationem, quòd Viris tantis talia potuerint excidere.



ANNEXA RESPONDENTIS.

I.

Scriptura in rebus ad salutem scitu necessariis perfecta & adeo perspicua & clara ut etiam ab indoctis, si modo attendant & mediis rectè utantur, intelligi possit.

II.

Quilibet fidelium de sua justificatione & per consequens etiam electione certus esse potest.

III.

Baptismus externus ad vitam aeternam consequendam ac impetrandam absolutè necessarius non est, cum non defectus ejus sed contemptus damnet.

IV.

Per adobaptismus tam ex collatione circumcisionis cum baptismo, quàm exemplo Stephani 1. Cor. 1. 16. cujus tota domus baptizabatur, probatur.

V.

Ad pronunciationem nominis JESU potius quem Dei, Salvatoris, Mediatoris, Christi &c. aperire caput superstitiosum & temerarium est; cum ejus in S. literis nullum habeamus fundamentum.

VI.

Verbum Dei non redit vacuum Ies. LV. 11. Si quidam id non recipiunt, facit tamen in eorum convictionem ut ἀναπολόγητοι reddantur; Etiam si verò recipere illud citra gratiae divinae indubitae operationem, imò vel obicem per se removere, nequeunt, hoc tamen ipsos non excusat.

VII.

Polygamiam simultaneam illicitam esse ex ipsa etiam creatione protoplastorum colligimus, Matth. XIX. 4. 5. 6.

Votum

VIII.

*Votum cœlibatus qui facit temerè agit etiam hac ex ratio-
ne, quia si vel donum continentia habeat id amittere potest.*

IX.

Qui pauca dat liberalior potest esse eo qui plura dat.

X.

*Pro creatione mundi tempore autumnali tam S. Scriptura
quàm ratio & rei natura pugnare videtur.*

XI.

*Salvatorem nostrum anticipasse pascha suum ultimum &
non eodem die cum Iudæis celebrasse, nisi firmioribus adhuc osten-
datur argumentis, credere non fas est.*

XII.

*Ob discrepantiam Chronologorum circa æram Christi, illam
quæ recepta est, nomine ÆRÆ VULGARIS vel Dionysianæ
designare, conveniens est.*

XIII.

*vestigia pedum Christi adhuc hodie in monte Oliveti vi-
deri & nullo modo deleri posse, ex variis commentis eorum qui
historiam narrant, figmentum esse constat.*



Carmen Heroico-gratulatorium.

M Agnum opus aggredieris, Te præmia magna manebunt;
Quantus & iste labor, tanto decorandus honore es:
Ergo, quod fœlix, fortunatumque, Favente
Numine, Palladii summo fautore laboris,

Quo

Quo pede cœpisti, SEPTEM ADMIRANDA tueri
 Perge, animo generose tuo, genuina SOPHIÆ
 FEYIE propago SACRÆ, nec te sublimè minantùm
 WALENBURGORUM malesana superbia frangat:

(*Ut lapsu graviore tuant, tolluntur in altum*)

Obrue Schismaticos, perplexum Ænigma resolve

Et labyrinthis inclusos flexibus, aude

Ex mediis tenebris, Errantes reddere luci

Ingenii fulgore tui, Inconcussus ad omnes

Partes adversas, licitantis frange rebelles

Ausus Hærereos (*hic murus aeneus esto*)

Ita Horat.

Quidni admirandum SEPTEM MIRANDA PHILIPPI

HENRICI Ingenii FEYII defendier, atque

Eximiã virtute Viri Clypeo SAMUELIS

ANDRÆ propugnari, quo Remige ductus

WALENBURGEA ex Scylla, cœcaque Charybdi

Ad veram lucis metam, Errorisque remotis

Velis, ad portum pacis tutissimus ibis,

Quod Commensales ex toto corde precamur

Omnes FEYIE tibi, vitæ, morumque Magister,

Unica spes Patriæ, decus esto insigne Parentum.

Ergo Coronis erit, Summã cum laude triumphum

Dignaque ab adversis FEYJO retulisse trophæa

Partibus, ut victor trabeatus culmen honoris

Conscendas, omnes & posteritatis in annos

Doctrinæ monumenta tuæ posuisse feraris;

Nec concordi animo plaudentes respue, nostros

Tanquam perpetui, VERSUS, cape Symbola amoris.

*Qua omnes Tibi unanimi voce acclamantes
 medullitus gratulamur*

COMMENSALES.

E

Quid

Quid miri? assiduus vix diva negotia tractas,
 Et jam propellis doctior ore lupos?
Admiranda facis: totus mirabitur orbis
Miros profectus, ingeniumque tuum.

Pauculis hisce largo affectu, at tenui Minervâ exaratis
admirandos Dn. Respondentis conatus admira-
batur, isdemq; applaudit

SALOMON BERTHOLDUS, Opp.



TE video mirum! mire miranda tueri
Septem quæ monstras mira, sed esse rata.
 Nec mirum quod laude queas miranda probare,
 Musæ cui dotes quippe dedere graves.
Admiranda tamen miri solertia cœpti
 Dum contra Papam dogmata vera probas
 Heu! quantum gaudent cuncti, mirabile dictu,
 Sic lucri quantum! Patria nostra feret.

Hac Domino suo Conterraneo tenui quidem
vena sed utroque pollice scripsit

J. G. WESTERWALDT.



Coll. diss. A. 2, misc. 69